

omnia stavit, & gratia non destruat, sed perficiat naturam, voluit ut per ea que spectant ad fidem, & ad ordinem gratie pertinent, nulla in jus nature fieret irruptio. Hinc Christus conferens Ecclesie potestatem predicandi Evangelium ubique Gentium, non ei auctoritatem dedit, qua minis, armis, & vi, ad Baptisma suscipiendum infideles cogere; neque misit Apostolos ut milites armatos, cum seculari potentia, sed imopes absque armis, & virga, qui suasionibus, mansuetudine, beneficiis, miraculis, & exemplis homines allicerent, & ad Christum Redemptorem ducerent, ut docuit Concilium Toletanum IV. Et hoc quidem rationabiliter: Primo quia cum ad fidem internam nemo cogi possit, lex Evangelica que non nisi per fidem corde suscipitur, vi, injuria, metu, alisque ejusmodi violentiis non propagaretur. Secundo, quia cum intentio Christi esset persuadere universo eibi fidem, non qualemcumque, sed eam que per solam dilectionem operatur: caritati autem sive dilectioni, nihil magis sit adversum, quam vis, injuria, & metus, congruum fuit ut ad eam nemo ejusmodi violentiis cogereetur. Tertio, ne fides que naturalis rationis vires excedit, per violentiam Gentibus predicata, exola fieret, & quasi tyrannicis exillimaretur, ac diaboli figmentum rationi repugnans. Quarto, ut hac excellentia lex nostra, cum Mahumeti perfidia comparata responderet; illa enim tamquam qua nulla ratione persuaderi poterat, vi & armis in mundum contrusa est: nostra vero fides per homines inermes, & mites, sola veritatis vi ac energia, mundum vicit, & Philosophos ac Imperatores debellavit. Unde egregie Chrysostomus serm. 3. Pentecostes: *Peragravit piscatoribus orbem terrarum, & infirmum cum invenientes, ad sanitatem reducere; & in ruina positum, ad stabilitatem revocaverunt; non sicut moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, sed regnum celorum possidentes, non habentes humanam solacia, habentes autem Dominum secum. Peragravit universum orbem vires simul cum lapsis, & vulnerata a bestibus non sunt oves, sed magis lupi ad ovium manufacturam sunt conversi.*

76 Obijcies tertio: Licet parentes infideles habeant dominium in suos filios, potest tamen princeps subditos, subiectione etiam duntaxat civili, privare tali dominio quando ea abutuntur: Sed infideles nolentes suos filios baptizari, abutuntur dominio quod habent in ipsos, contra honorem Dei, & parvulorum salutem: Ergo poterunt privari tali jure, & consequenter eorum infantes licite baptizari.

77 Confirmatur primo: Si parens vellet interficere filium, posset infans jure, non obstante jure nature quod habet in eum, vi eripi: Ergo multo magis si nolit eum baptizari: salus enim anima prevaleri debet vite corporis.

78 Confirmatur secundo: Potestas defendendi innocentes, jure nature competit Principi, immo & cuilibet particulari: Sed pueri sunt innocentes, & patiuntur maximum damnum, si non baptizentur: Ergo jure nature licitum est Principi eos baptizare, & si opus fuerit, de potestate parentum eripere.

79 Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Potest princeps privare subditos dominio quod habet in filios quando illo abutuntur contra jus nature, vel civile, concedo. Quando eo abutuntur contra legem supernaturalem, qualis est qua obligat ad baptismum si sint infideles, nego. Cum enim potestas civilis sit mere naturalis, & ab hominibus dimanans, non potest extra jus nature se extendere ad legem supernaturalem, ejusque observantiam, sed hoc pertinet ad aliam potestatem superiorem, qua est immediate a Deo, nimirum ad potestatem jurisdictionis spiritualis, primo & per se & cum tota plenitudine residentis in Summo Pontifice, cui enim infideles non baptizati non subdantur, consequens est eos a nullo Principe posse privari jure & dominio naturali quod habent supra filios, quando eo contra legem supernaturalem, & parvulorum salutem abutuntur. Ex quo facile solvitur prima confirmatio, & intelligitur ratio quare si contingeret quod pater infidelis vellet occidere filium, posset privari jure quod habet supra illum, & ab ejus potestate eripi, & tamen non possit tali jure privari, ex eo quod non vult permittere ut baptizetur: volendo enim eum occidere, peccat contra jus nature, cujus cura per se pertinet ad Principem temporalem; at vero ex eo quod nolit permittere ut baptizetur, peccat contra jus supernaturale ad cujus defensionem potestas secularium non se extendit. Unde

80 Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus que jure nature sunt ipsis debite, convenit Principi, immo & cuilibet particulari, jure nature, concedo Majorem. Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus supernaturalibus, nego Majorem. Damnum in rebus supernaturalibus non est contra justitiam naturalem, neque contra finem politicum, proindeque vindicari non potest ab eo qui solum habet potestatem politicam. Similiter distin-

guo secundam partem Minoris: Pueri, si non baptizentur, patiuntur maximum damnum in rebus naturalibus, nego Minorem: in rebus supernaturalibus, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

Obijcies quarto contra secundam conclusionem: Dominum quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad supernaturalia: Sed baptizare parvulum est aliquid pertinens ad ordinem supernaturalem: Ergo dominium quod quis habet in captivum, vel mancipium non dat illi jus baptizandi ejus filios, ipso invito & renuente.

Respondeo, hoc argumentum solum probare dominium quod quis habet in captivum non importare immediate & per se auctoritatem ad baptizandum ejus filios, ipso invito, sed tantum quasi per accidens & secundario: licet enim illud jus gentium quod captivi mancipantur, per se & indirecte ad supernaturalia non pertingat: indirecte tamen & quasi per accidens ad ea se extendit, dando facultatem separandi per donationem aut venditionem filios a parentibus, eo sine ut baptizentur.

Dices: Per donationem aut venditionem non auferitur a patre servo jus paternum: Ergo fit injuria patrie potestati, cum ipso invito filii ejus baptizantur.

Respondeo quod jus radicale non auferitur a patre per venditionem aut donationem, sed auferitur jus proximum & expeditum & si aliquo fine temporali licite potest hoc jus impedire, multo magis sine spirituali & supernaturali, cui temporalia & transitoria subvenire debent.

DISPUTATIO IV.

De Effectibus Baptismi.

Ad questionem 69. Divi Thomae.

Considerata causa Baptismi effectiva, & subjecliva, consequens est ut de variis ejus effectibus differamus, & que docet S. Thomas quest. 69. breviter exponamus.

ARTICULUS I.

Quinam sint effectus Baptismi?

Divus Chrysostomus in homilia de baptizatis (ut refert D. Augustinus lib. 1. contra Julian. c. 5.) numerat decem effectus iniquos baptismi. Primus est remittere peccata omnia preterita. Secundus, ut adoptet nos in filios Dei. Tertius, ut sanctificet nos. Quartus, ut efficiat nos iustos coram Deo. Quintus, ut faciat nos heredes regni celorum. Sextus, ut faciat fratres Christi esse. Septimus, ut faciat nos confortes ejusdem nature, & coheredes. Octavus, ut faciat nos esse membra Christi & Ecclesie. Nonus, ut vocemur templum Spiritus sancti. Decimus, ut fiamus organa, quibus Spiritus sanctus operatur. Ut hi & similes effectus explicentur.

Dico primo, omnia peccata tolli per Baptismum. Conclusio est certa de fide, ac definita in Florentino in Decreto unionis, ubi de Baptismo dicitur: *Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis & actualis.* Id etiam aperte tradunt SS. Patres: Augustinus enim lib. 3. de symbolo cap. 10. hac habet: *Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quarit merita; praevenit gratia etiam ipsam infantiam, ut sint liberi per Christum liberati, qui a diabolo in Adam tenebantur ante captivi.* Et lib. 1. de peccatorum meritis cap. 15. hac scribit: *Converante carne tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante autem spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntarium se remissio peccatorum.* Similia habet Cyprianus, vel Auctor sermonis de ablutione pedum, ubi de Baptismo ait: *De abluo & secretissimo Spiritus sancti munere, hujus gratia liquor emundat, sic lavans quos parentalis labor infecerat, ut neque actualis nec originalis culpa vestigia relinquatur.*

Idem docet S. Thomas hic artic. 1. ubi nostram conclusionem probat in argumento sed contra, ex illo Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Quem locum S. Hieronymus ibi, & D. Cyprianus lib. 4. Epist. 7. & S. Athanasius Epistola ad Serapionem, Theodoretus, & alii, de aqua Baptismi exponunt.

In corpore vero articuli sic dicitur: Per Baptismum moritur homo vetustati peccati, & incipit vivere vita gratie, ut docet Apostolus ad Rom. 6. Sed omne peccatum ad pristinam vetustatem pertinet: Ergo per Baptismum tollitur omne peccatum. Hinc SS. Patres, & Scripturae Interpretes, docent transiitum filiorum Israel per mare rubrum quandam fuisse Baptismi figuram: nam sicut in mari rubro hostes a tergo filios Israel persequentes, submersi sunt in aquis maris: ita in aquis Baptismi suffocantur & dimittuntur omnia peccata ante Baptismum commissa. Unde

Unde Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 28. *Naves & mare Rubrum, Baptismus utique est, Christi sanguine consecutus, hostes sequentes a tergo moriuntur, cum peccata praeterita remittuntur.* Addit Bernardus Serm. 39. in Cantica, eandem figuram magis explicans: *Ibi populus exultans de Aegypto, hic homo de saeculo: Ibi praefertur Pharaon, hic diabolus: Ibi subvertuntur curus Pharaonis, hic carnalis & saecularis desideria, qua militans adversus animam, subvertuntur: Ibi in fluitibus ipse in fluitibus: marini illi, amari isti.*

Dico secundo: Per Baptismum liberatur homo ab omni reatu poenae, quae pro culpa debetur; per illum tamen poenalitatem vitae praesentis non auferuntur.

Prima pars hujus conclusionis est de fide, definita in Florentino supra citato; ait enim quod *hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis & actualis: omnis quoque poena quae pro ipsa culpa debetur.* Et Tridentinum sessione 6. cap. 4. constituit discrimen inter Baptismum & Poenitentiam, quod in ista, dimissa culpa, remanet satisfactio pro poena temporali, quae ut sacra litterae docent, non ita semper (ut in Baptismo fit) dimittitur illi.

Eadem veritas patet ex perpetuo Ecclesiae usu & consuetudine, baptizatis enim nulla unquam imposita sunt opera satisfactoria, sicut fit in sacramento Poenitentiae. Unde Ambrosius ad Romanos 11. *Gratia Dei in Baptismo gratie omnia condonat, & non quarit genitum aut plantum, aut opus aliquod, nisi solum ex corde professionem, &c.*

Ratio vero primaria hujus est voluntas Dei & institutio Christi, qui tantam voluit conferre virtutem Baptismo, ut omnem culpam & poenam auferret, quod colligitur ex eo quod instituit hoc sacramentum per modum generationis spiritualis, atque adeo sicut in generatione corporali (juxta d. Thomae sententiam) fit resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens quod erat in corrupto, maneat in genito: ita & nullum accidens ad generationem spirituales pertinet, debet remanere in homine per Baptismum regenerato, vires quoad poenam. Unde Chrysostomus homil. 24. in Joann. *In aqua Baptismi tanquam in sepulchro corpus immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde, novus resurgit.*

Secunda pars quae asserit poenalitatem hujus vita non auferri per Baptismum, non minus est certa quam procedens, experientia enim constat in baptizatis remanere concupiscentiam, & fontem peccati, eosque esse obnoxios fami, siti, morbis, & morti: licet enim Baptismus, quantum est de se, has vires hujus poenalitatis auferendi virtutem habeat, convenienter tamen fuit, ut eas non tollerent ante resurrectionem. Primo, quia cum per Baptismum homo fiat membrum Christi debet ipse assimilari: Christus autem utique ad resurrectionem, passus est famem, labores, dolores, mortem, & similes poenalitatis. Secundo, ut major esset corona, ex majori pugna victoria. Unde Augustinus libro de peccatorum meritis cap. 21. *Per baptismum (inquit) id agitur, ut evocetur caro peccati: evocatur autem, non ut concupiscentia immata repente abscindatur, & non sit, sed ne obis venato, quo inerat nato. Nam si post baptismum viveret, atque ad statum capacem peccati perveniret, ibi haberet eum qui pugnet eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit.* Tertio, ne homines potius susciperent Baptismum, propter impassibilitatem temporalem, quam propter gloriam aeternam. Ita D. Thomas hic art. 3. in corpore.

Dico tertio: Per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Ita S. Doctor art. 4. & 6. & definitur in Clementina 1. de summa Trinitate, colligiturque ex Tridentino sess. 3. cap. 5. ubi generaliter dicitur, baptizatis conferri gratiam, & consequenter virtutes ab ea dimanantes.

Ratio etiam illi suadet. Primo quia Baptismus est institutus ad tollendum peccatum originale, & actuale, si adicit: Sed hoc non remittitur sine infusione gratiae: Ergo per baptismum conferuntur gratia. Secundo, Baptizati Christo incorporantur, tamquam ejus membra: Sed a Christo capite derivatur plenitudo gratiae & virtutis ad omnia ejus membra, juxta illud Joann. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus:* Ergo per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Tertio, Baptismus efficit quod significat. Sed sicut aqua per suam ablutionem significat emundationem a culpa, & per refrigerium, liberationem a poena; ita & per naturalem claritatem significat splendorem gratiae & virtutum: Ergo in Baptismo gratia & virtutes inmundantur.

Hac ratione probant, non solum adultis, sed etiam parvulis, gratiam & virtutes per Baptismum conferri. Unde Cyprianus Epist. 59. *Una est divini muneri equalitas apud omnes: sicut infantes sic majores nasci: non gratia que baptizatis datur, non pro aetate accipiuntur major vel minor tribuitur, sed de pietate atque indulgentia paterna, aequalis omnibus praebetur; nam Deus in personam non accipit; sic neque aetatem, non se omnibus ad celestis gratiae consecrationem, aqua datur libenter, praebere patrem.*

Dico quarto: Baptismo convenienter attribuantur tres actus, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio, & secundatio.

Probatr breviter: Per Baptismum homo fit membrum Christi, & ipse incorporatur; & cum sit sacramentum fidei, per illum spiritualiter illuminatur. Item per gratia & virtutum infusionem, honorum operum secunditate donatur: Ergo illi convenienter attribuantur tres actus praedicti, nimirum incorporatio ad Christum, illuminatio, & secundatio. Ita S. Doctor art. 5.

Dico quinto: Aperitio januae regni caelestis est effectus Baptismi. Est etiam D. Th. art. 5. ubi illam probat in argumento sed contra, ex illo Lucae 3. *Jesus baptizans aperit januam.* Quae verba Venerabilis Bedae expendens, subdit: *Virtus hinc Baptismi ostenditur de quo quisque cum egreditur, regni caelestis ei janua aperitur.* In corpore vero articuli sic dicitur: *Aperit januam regni caelestis est amovere impedimentum quo quis impeditur regnum caeleste introire: Sed tale impedimentum nimirum culpa & reatus poenae, per Baptismum tollitur, ut ex supra dictis patet: Ergo per illum janua regni caelestis aperitur.* Quod autem ante passionem Christi Baptismus hunc effectum non haberet, id erat per accidens, quia tunc non habebat suam significationem perfectam, quam significat mortem & sepulcrum Christi, cui in Baptismo commorimur, ut docet Apostolus ad Roman. 6. nec erat tunc in suo statu veluti connaturali, quia nondum erat perfecta & consummata novae legis institutio.

Prater hos effectus Baptismi, alii duo assignari possunt, nimirum character, de quo fuit Tractatu praecedenti disp. 5. & jus ad auxilia specialia, sibi suo proportionata, nempe ad sancte & Christiane vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Christifide fratres, & regni caelestis haeredes: juxta illud D. Leonis serm. 1. de Nativitate: *Agnosce homo dignitatem tuam, & divina consorti saltus natura, noli in veterem utilitatem degeneri conversatione redire.*

Porro admiratione & observatione dignissimum est tot & tam mirabiles effectus virtutem divinam in sacramento baptismi producere, paucis aque guttis, & non nullis verbis ab homine prolatis, quod licet fidem non superet, omnem tamen profecto rapit admirationem. Unde praeclear Tertullianus libro de baptismo dixit: *Qualis decet esse opera Domini nisi super omnem admirationem & mirandam Jano quod sine pompa, sine apparatu, sine sumptu in aqua admittitur, inter paucas verba rictus, inde exitus innocens. Ne mireris propterea haec simplicia quasi vana, haec magnifica, quasi impossibilia, quia alius aequae Deo proprietates suas, simplicitatem & puritatem.*

Alios effectus falso baptismati tribuunt haeretici, nempe quod baptizatus non possit damnari, etiam si velit, nisi nolit credere. Quod Baptismus liberet ab obedientia divinae legis, itaque ab humanarum legum observatione, & ab omnibus votis. Quod denique sola memoria Baptismi justificet a peccatis post Baptismum commissis. Qui omnes errores damnantur a Tridentino sess. 6. can. 6. 7. 9. & 10. de Baptismo, ac fute refutantur a Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 14. & sequentibus.

ARTICULUS II.

An Baptismus sine suscepiendo, recedente filio, ex opere operato producat suam effectum?

§. I.

Quibusdam promissa difficultas resolvitur.

Suppono primo, fictionem posse esse duplicem: Prima est, quando quis exterius simulat se velle Baptismum recipere, nullam tamen interius intentionem habet illud recipiendi, & de hac fictione hic non loquimur, certum enim est, illam nequam effectum, sed etiam valorem sacramenti tollere. Secunda est, quando quis habet quidem intentionem recipiendi sacramentum, & simulat se cum fidei debita dispositione ad illud accedere, revera tamen non credit, vel non est dispositus ad recipiendum effectum sacramenti, vel quia habet complacentiam in aliquo peccato mortali, vel quia accedit ad Baptismum sine sufficienti dispositione ad gratiam consequendam, existimans se esse sufficienter dispositum, puta si habeat attritionem solum naturalem quam bona fide existimat esse supernaturalem, & de hoc genere fictionis agimus in praesenti, non vero de altero.

Suppono secundo, fictionem hoc modo sumptam, licet cet valorem Baptismi non tollat, impedire tamen precipuum ejus effectum scilicet gratiam, & remissionem peccatorum, quia complacentia in peccato praeterito opponitur infusioni gratiae, & ad eam recipiendam homo per actum supernaturalem disponi debet.

His praemissis, quarimus, an dum quis Baptismum fide suscipit, & postea permittit de fictione, eamque per actum contritionis, vel saltem attritionis supernaturalis tollit, Baptismus fide susceptus, gratiam per fictionem impeditam, ex opere operato producat?

Partem negativam tenent Scotus in 4. dist. 4. quest. 5. 14 Gabriel ibidem quest. 1. art. 3. dubio 2. Joannes Andreas in cap.

cap. Tunc volens, de consecratione dist. 4. Joannes Medina de confessione, Tractatu 2. quasi de confessione facta iteranda, ubi ait: Non esse omnino certum, quod Baptismus valeat ad gratiam baptismalem, quando recedit fictio, quia aliquibus visum est, quod tunc homo ille per solam contritionem assequatur gratiam. Idem sentire videtur Vasquez hic disp. 159. cap. 4. & Augustinus Bernal disp. 13. de sacramentis in genere sect. 2.

15 Dico tamen, Baptismum fide susceptum, recedente fitione, ex opere operato, suum effectum producere. Ita communiter Thomista post D. Thomam hic art. 10. Suarez, Granado, Delugo, Conink, & alii.

Probatur primo ex Augustino lib. 1. de Baptismate contra Donatistas cap. 12. ubi Baptismum fide susceptum dicit quod, cum vultur incipit ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit. Ex lib. 3. cap. 13. de Baptismo in schismate suscepto ait: Tunc incipit volere ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiam pacem venerit. Item Auctor Sermonis de Passione apud S. Cyrilianum, de his qui fide Baptismum susceperunt: Ubi (inquit) respiciat ad cor, constet abluitionis donum: & reliet effectus munerum, nec alias quari que reperi necesse est salutis sacramentum. Eandem doctrinam tradit Hugo a S. Victore in Ep. ad Rom. quest. 157.

Probatur secundo conclusio ratione D. Thomae. 16 Causa ex se productiva effectus si impediatur, eum postea producat, remoto impedimento; sicut quia in generatione corporis gravis, resistere debet motus deorsum, si motus ille impediatur resistat postea, sublato impedimento; Atqui Baptismus validus ex se postulat producere gratiam: Ergo remota fitione, statim eam producat ex opere operato.

Probatur tertio: Baptismus est interabilis: Ergo cum peccatum originale remitti non possit per aliud sacramentum, quam per Baptismum, necesse est precedentem Baptismum fide susceptum, recedente fitione, producere gratiam remissionis peccati originalis.

18 Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Si quis fide susceperit Baptismum, & postea cum vera attritione confiteretur, & susceperit poenitentiam, sine dubio iustificaretur, & a peccato originali munderetur: Sed peccatum originale per sacramentum Poenitentiae tolli nequit, sed duntaxat per sacramentum Baptismi, quod pro eius remedio institutum est: Ergo tollitur tunc per Baptismum, subindeque Baptismus, recedente fitione, producat suum effectum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

19 Objicies primo: Opus mortuum, id est in peccato factum, non potest revivificare: Sed susceptio Baptismi in peccato mortali est opus mortuum: Ergo non potest revivificare, nec consequi suum effectum.

20 Respondeo ex D. Thoma hic art. 10. ad 1. effectum Baptismi qui erat conferendus ex opere operantis, non revivificare, quia opus operantis fuit mortuum, redire tamen effectum Baptismi, ipsi ex opere operato correspondentem, quia sub illa ratione est opus Dei, quod non est mortuum in suscipiente fidei sacramentum.

21 Objicies secundo: Sacramenta novae legis sunt causae physicae gratiae, ut Tractatu precedenti disp. 3. art. 2. ostensum est: Sed sacramentum Baptismi fide susceptum, recedente fitione, non potest physice causare gratiam, cum eo tempore non existat, & jam transierit: Ergo Baptismus fide susceptus, recedente fitione, suum effectum producere nequit.

22 Respondeo primo, quod quando Thomista docent, sacramenta novae legis physice causare gratiam, hoc debet intelligi de Sacramento physice existente, cum existentia physica sit una ex conditionibus requisitis ad physicam operationem; unde cum Baptismus fide susceptus, recedente fitione, non existat physice, sed solum moraliter, nimirum in divina acceptione, in tali casu per accidens gratiam physice non causat, sed duntaxat moraliter.

23 Respondeo secundo, non esse improbabilem sententiam plurimorum Thomistarum, qui asserunt Baptismum fide susceptum, recedente fitione, physice gratiam causare, licet enim quando recedit fictio, Baptismus non sit in se, remanet tamen in sua virtute, nimirum in charactere, qui tunc elevatur ad causandam gratiam, quam Baptismus in puncto suae receptionis debet producere, si non fuisset positum impedimentum. Unde D. Thomas in 4. dist. 3. art. 2. quaestione 3. in Baptismo (inquit) imprimitur character, qui est inextinguibile causa dispositiva ad gratiam, & ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fitione, quae effectum characteris impedit, character qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum: & ita in Baptismo, recedente fitione, effectum suum consequitur.

24 Ex dictis inferes, sublata fitione, conferri per Baptismum majorem vel minorem gratiam, juxta intensiorem actus vel dispositionem tollentis fitionem: non vero

(ut existimat Suarez) minimam gratiam quae ex opere operato per Baptismum dari potest, qualis est illa quae conferitur instantibus.

Patet hoc corollarium ex dictis: Sacramenta enim conferunt gratiam majorem vel minorem, juxta intensiorem dispositionis qua subiectum se disponit ad illam recipendam. Sed per actum quo tollitur obex, subiectum se disponit ad effectum Baptismi recipendam: Ergo juxta intensiorem talis actus Baptismus majorem vel minorem conferat gratiam baptismalem. Unde si aliquis removeret fitionem, per actum intensum ut quatuor majorem reciperet gratiam, quam ille qui devote susceperit Baptismum, cum actu intenso ut duo. Nec propterea primus peccato perfectionis aliquid commodum reportaret, sed tantum se differtiori dispositione qua se ad gratiam baptismalem prepararet. Nec secundus esset deterioris conditionis, sed melioris, nam qui initio fructuose recipit Baptismum, potuit plura virtutis opera, augmenti gratiae meritoria elucere: quod non potuit alter qui fide ad illum accessit.

ARTICULUS III.

Quae peccata remittuntur per Baptismum, recedente fitione?

§. I.

Primitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiae.

25 Ceterum est, per Baptismum fide susceptum, recedente fitione, peccatum originale dimitti, cum nullum aliud sacramentum, praeter Baptismum, ad peccati originalis remissionem institutum sit; unde solum difficultas est de peccatis actualibus, ante vel post Baptismum fide susceptum, vel in actuali ejus susceptione commissis, an scilicet talia peccata, ex vi ipsius Baptismi, recedente fitione, vel per sacramentum Poenitentiae dimittantur? In cuius difficultatis resolutione quatuor reperio Doctorum sententias. Prima est Scotti, Gabriels, & Vasquez, asserentium peccata, etiam ante Baptismum commissa, de quibus accedens ad Baptismum attritionem non habuit, remitti postea recedente fitione, per sacramentum Poenitentiae.

Secunda quae est Magistri Soto, concedit quidem quod recedente fitione remittuntur per Baptismum omnia peccata quae ipsum praecesserunt, sed non illa quae in ipsa ejus susceptione commissa sunt.

Tertia quam defendit Paludanus, asserit Baptismum fide susceptum, vim habere remittendi peccata non solum quae ipsum praecesserunt, aut quae in actuali ejus susceptione commissa sunt, sed etiam quae ante ablationem fitionis, post ejus susceptionem patrata sunt. Addit tamen, Baptismum talia peccata directe non remittere, sed indirecte tantum, & cum obligatione illa subijciendi clavibus Ecclesiae.

Quarta quae est communis in schola D. Thomae, & quam plures ex Recentioribus sequuntur, existimat omnia peccata, sive baptismum praecedentia, sive cum eo simul commissa, per ipsum baptismum ex opere operato remitti: peccata vero post ejus susceptionem commissa, deleri per Poenitentiam.

§. II.

Rejiciuntur tres prima sententiae, & quaevis haecur.

26 Dico primo: Omnia peccata baptismum fide susceptum praecedentia, recedente fitione per ipsum baptismum remitti, non vero per sacramentum Poenitentiae.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Illa peccata non remittuntur per sacramentum Poenitentiae, quia non cadunt sub jurisdictione Ecclesiae: Sed peccata ante baptismum commissa, non cadunt sub jurisdictione Ecclesiae: Ergo non remittuntur per Poenitentiam, sed per baptismum. Major patet, sacramentum enim Poenitentiae requirit Ecclesiae jurisdictionem. Minor etiam non minus est manifesta, sicut enim Ecclesia non habet potestatem sive jurisdictionem super hominem nondum baptizatum, ita neque super peccata quae ante suum Baptismum commisit.

Confirmatur: Peccata quae per Poenitentiam remittuntur, satisfactione aliqua in hoc saeculo expandiuntur: Sed nulla solet imponi satisfactio pro peccatis ante Baptismum commissis, etiam si quis de illis dum baptizaretur attritionem non habuerit, vel cum affectu ad peccatum mortale ad Baptismum accesserit, ut constat ex praxi Ecclesiae: Ergo peccata ante Baptismum fide susceptum commissa, non remittuntur per Poenitentiam, sed per Baptismum, recedente fitione.

Dico secundo, etiam peccata quae simul cum Baptismo fide suscepto existunt, non remittuntur per Poenitentiam, sed per Baptismum, recedente fitione.

Probatur primo ex D. Thoma hic art. 10. ad 2. ubi sic ait: 27 Fictio non remittitur per Baptismum, sed per Poenitentiam subsequenter, quia remota Baptismus auferat culpam & remittit

omnium peccatorum praecedentium Baptismum, & etiam simul expensum cum ipso.

29 Probatur secundo ratione praecedenti conclusione infirmata: Peccata quae nullo modo praesupponunt Baptismum, non possunt deleri per sacramentum Poenitentiae: Sed peccata quae simul cum actuali Baptismi susceptione committuntur, nullo modo praesupponunt Baptismum: Ergo non possunt deleri per sacramentum Poenitentiae, sed tantum per sacramentum Baptismi, recedente fitione. Major est certa: peccata enim quae nullo modo praesupponunt Baptismum, non sunt peccata hominis baptizati: sola autem peccata hominis baptizati possunt remitti per sacramentum Poenitentiae, quia ea sola subduntur clavibus sive jurisdictioni Ecclesiae. Minor vero probatur: Peccata quae mere concomitantur se habent ad ipsum Baptismum, non praesupponunt Baptismum: Sed peccata quae in ipsa actuali susceptione Baptismi committuntur, mere concomitantur se habent ad ipsum: nullo enim modo ipsum praesupponunt: Ergo peccata quae simul cum actuali susceptione Baptismi committuntur, ipsum non praesupponunt.

Dico tertio, peccata post Baptismum fide susceptum commissa, recedente fitione, non remitti per Baptismum, sed per Poenitentiam.

30 Probatur primo ex D. Thoma hic art. 10. ad 3. ubi sic dicitur: Effectus Baptismi non est valere peccata futura sed praesentia, vel praeterita: & ideo recedente fitione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per Poenitentiam non per Baptismum: unde non remittuntur quantum ad actum reatum, sicut peccata praecedentia Baptismum.

31 Probatur secundo ratione ex fundamentis supra statitis desumpta: Peccata enim quae subsequuntur Baptismum fide susceptum, subijciuntur Ecclesiae clavibus, atque adeo Poenitentiae: Ergo per poenitentiam, non vero per Baptismum remittuntur.

32 Dices cum Paludano, hoc argumentum probare quidem talia peccata non remitti per se & directe per Baptismum, sed non ostendere ea non deleri per Baptismum per accidens & indirecte, & cum obligatione subijciendi illa clavibus Ecclesiae.

Sed contra: Nullum sacramentum habet virtutem ad remittendum peccatum post susceptionem ipsius sacramenti commissum, neque directe, neque indirecte, nec ullo modo; non enim ad hoc sunt illa ratione instituta sacramenta, neque ad hujusmodi effectum a Deo acceptantur: sunt enim sacramenta medicinae curativae praecedentium peccatorum, & praeservativae sequentium; non tamen sunt convenientes ut haberent etiam vim ad delenda peccata postea committenda, nam hujusmodi medicinae non adhibentur, donec ageritudo infirmit.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

33 Objicies primo contra primam conclusionem: Si Baptismus fide susceptus, remitteret sua virtute peccata ante ejus susceptionem commissa, id praestaret remotio obicis, sive fitionis praesupposita: evidens enim est, quod non possit habere hunc effectum, quando obex sive fictio perseverat: Sed neque etiam remotio obicis praesupposita, potest remittere peccata illa: Ergo falsum est quod illa remittat. Major constat, Minor probatur. Non potest Baptismus fide susceptus praesupponere remotioem obicis sive fitionis, nisi praesupponat gratiam sanctificantem, utpote sine qua fictio sacrilega & mortalis non destruitur: Sed praesupposita gratia sanctificante, eo ipso praesupponuntur peccata quae ante Baptismum commissa sunt, omnino, quoad culpam saltem, remissa, utpote quae simul esse non possunt cum gratia sanctificante: Ergo remotio obicis praesupposita, non remittit Baptismus, sed remissa supponit peccata illa.

34 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad cuius probationem, distinguo Majorem. Non potest Baptismus fide susceptus praesupponere remotioem obicis sive fitionis, nisi praesupponat gratiam, secundum virtutem quam ipsa habet praesice ut est effectus sacramenti Poenitentiae, & concedo Majorem. Nisi praesupponat gratiam secundum omnem virtutem quam habet ut est in illo casu effectus Baptismi & Poenitentiae, nego Majorem. Similiter distingo Minorem. Praesupposita gratia sanctificante praesice secundum quod est effectus sacramenti Poenitentiae, praesupponuntur peccata quae ante Baptismum commissa sunt, omnino remissa, nego Minorem. Praesupposita gratia sanctificante, secundum omnem virtutem quam habet ut est effectus in illo casu tam Baptismi, quam Poenitentiae, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

35 Explicatur solutio: Cum gratia sanctificans quae in ipsa remotioe obicis Baptismi fide suscepti tribuitur, sit effectus Baptismi, & Poenitentiae; Baptismi in quantum est gratia regenerativa, & remissiva omnium peccatorum, susceptionem hanc Baptismi praecedentium; Poenitentiae vero, in quantum est remissiva peccati fitionis: licet Baptif. Theol. Gonet, Tom. V.

mus fide susceptus, eam praesupponat ut remotivem obicem fitionis, atque adeo ut effectum Poenitentiae, non tamen ut remissivam peccatorum ante Baptismum commissorum, quandoquidem sicut ad ea non se extendit sacramentum Poenitentiae, ita nec ipsa gratia sanctificans, praesice in ratione effectus talis sacramenti considerata.

36 Inhibitis: Peccata ante Baptismum commissa, non possunt esse simul cum gratia, ut remotivae obicem Baptismi, sive ut effectus Poenitentiae, alias enim posset remitti unum peccatum sine alio, quandoquidem remotio obicis est remissio peccati sacrilegii: Ergo Baptismus non potest praesupponere remotioem obicis, ut causam a gratia quae sit effectus Poenitentiae, nisi eo ipso supponat etiam remissionem omnium peccatorum, ante hanc ejus susceptionem commissorum.

37 Respondeo distinguendo Antecedens: Peccata ante Baptismum commissa, non possunt esse simul similitate temporis cum gratia ut remotivae obicem Baptismi, concedo Antecedens. Simil similitate naturae, & prius prioritate a quo, in genere causae veluti materialis, quam sit effectus Baptismi, & gratia ut regenerativa, nego Antecedens. Sicut enim nulla est implicatio quod concipitur prior prioritate naturae & in genere causae materialis, remotio obicis ad effectum Baptismi, quam talis effectus: ita neque quod gratia ut remotivae obicem remissionis peccatorum ante Baptismum commissorum, & ut effectus Poenitentiae, concipitur prior ad seipsum, ut remissivam talium peccatorum, & ut effectum Baptismi, quia cum hoc fiat peccatum fitionis non remitti in aliquo instanti in quo non remittantur alia ante Baptismum commissa.

38 Objicies secundo contra secundam conclusionem: Illa peccata remittuntur per poenitentiam & non per Baptismum, quae baptizatus tenetur confiteri: Sed fide baptizatus tenetur confiteri omnia peccata quae in ipsa susceptione baptismi commisit: Ergo illa peccata non remittuntur per baptismum, sed per poenitentiam. Major constat, Minor vero probatur. Quando quis tenetur confiteri aliquid peccatum, tenetur confiteri gravitatem totam illius; Sed ex una parte tenetur baptizatus fide confiteri fitionem, ex alia vero eo gravius est peccatum fitionis, quo quis habet plura peccata in ipsa susceptione baptismi, fitionem formalis est irreverentia in susceptione sacramenti, quae haud dubie major est, quo plura sunt peccata: Ergo fide baptizatus tenetur confiteri omnia peccata, quae in ipsa susceptione baptismi commisit.

39 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: sufficit enim quod fide baptizatus contineatur fitionem formalem, asserendo duntaxat se suscepisse baptismum in peccato mortali: Ad probationem in contrarium dico, majorem esse veram, quando non conjunguntur duo sacramenta, sed in ipsa presenti, cum haec conjunctio fiat, sola fictio remittitur per sacramentum poenitentiae, & gravitas vero illius major, & quae provenit ex magnitudine & multitudine aliorum peccatorum, quae remittuntur per baptismum, remittitur etiam per ipsum.

40 Objicies tertio contra tertiam conclusionem: Licet sacramentum Poenitentiae non sit institutum ad delenda peccata non confessi, tamen per concomitantiam remittit etiam illa, quae ex oblivione non sunt confessi. Similiter licet Eucharistia non sit per se instituta ad delendum peccatum cum sola attritione, illud tamen interdum remittit per accidens in eo qui existimat se esse contritum, accedit ad illud sacramentum: Ergo similiter licet baptismus non sit per se institutus ad remittenda peccata, quae post ejus susceptionem committuntur, interdum tamen per accidens ea remittere poterit.

41 Respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam, quia nullum sacramentum habet vim ad remittenda peccata post susceptionem ipsius sacramenti commissa, neque directe, neque indirecte: sunt enim sacramenta medicinae curativae praecedentium peccatorum, & praeservativae tantum respectu subsequendum. Unde nego paritatem; peccatum enim oblitum in confessione, supponitur commissum ante susceptionem sacramenti Poenitentiae, & similiter Eucharistia non facit de attrito contritum, nisi respectu peccati ante susceptionem talis sacramenti commissi.

42 Quaeres: utrum non solum peccata mortalia, sed etiam venialia, baptismum fide susceptum antecedentem, aut ipsum concomitantia, per ipsum recedente fitione, remittantur? Respondeo affirmative. Quamvis enim non sit aequum certum, recedente fitione, redire effectum baptismi, quoad remissionem venialium, quia baptismus non est medium necessarium ad hujusmodi remissionem, nihilominus probabilis est, etiam hunc effectum redire, quia si baptismus ita institutus est, ut possit operari, sublato obice, & recedente fitione, etiam si ipse non existat, non est verosimile hoc esse limitatum ad unum effectum ejus, notius quam ad alium, nullum enim fundamentum est ad id asserendum; praesice quia gratia illa quae datur recedente fitione, tam vere est regenerativa, ac si esset data in praesentia baptismi, & ideo quantum est de se, omnino transfundat hominem, & delet omnem maculam vitae praeterite.

